DE FRICTIONUM USU APUD VETERES.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI SIBI

IN

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CONCEDANTUR

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HIRSCH MARCUS COHEN

HAMBURGENSIS

DIE XIII. M. IANUARII A. MDCCCXX.

H. L. Q. S.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

PATRI

DILECTISSIMO

M. H. COHEN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

HASCE

STUDIORUM SUORUM
PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

De frictionum usu.

Quaerentem in tota artis medicae arena, quam mihi rem viribus parem nec tamen humilem sumerem describendam, cogitantemque adhuc atque incertum allexit veterum medicorum studium jam antea mihi percarum, sic ut mox certum mihi staret consilium, horum ex opibus nunc hic illic obrutis argumentum quoddam promendi restaurandique. Sed hanc quae mihi rem suppeditaverint causae, nunc in lucem erit ferendum; enimvero est frictionum ut usus, ita adhibendi modus veterum paene tantum medicorum, quorum scripta, vera ut fateamur, viris illis exceptis penes quos ut recentiorum ita veterum omnis est doctrina, saepe nos latent. Media illa quidem, quae dicitur aetate, plura hac de re sunt edita, haec vero dissertationum tantum scriptis recondita, plurimarum dissertationum fruebantur sorte, nempe nunc ut sint incognitae; mihi saltem tota hac nostra in urbe ne ullam quidem hac de re invenire licuit. Ignoscent certe qui legent iis quae nondum exarata esse videntur, quum primum tantae mihi non sunt ingenii dotes magna ut polleam scientia, nec omni licet adire Corinthum, tum vero tantum temporis non mihi supererat, hoc ut opusculum qualecunque ad unguem potuerim castigare. Audaciam vero si quis improbabit scribentis de re quae magnam exigit doctrinam,

perpendat, fuisse aliquid scribendum, et quodsi deficiant vires audacia certe laus erit, in magnis et voluisse sat est. Ad rem vero pergamus! frictio dicitur corpus humanum nudum ita aliqua tangere cum re ut non eodem haereamus in loco! sed Galeni ipsius utar verbis haec docentis. (De san. tu. L. II.)

„Variae autem quam maxime ex manuum injectione circumactuque frictiones esse debebunt nec superne modo deorsum vel inferne sursum adhibitae, sed etiam tum in subrectum tum in obliquum tum in transversum tum in subtransversum, musculorumque fibrae omni in parte perfricentur. Hac vero in re modos gradusque esse plurimos inter se varios Galeno asserendum est teste! progreditur nempe a titillationis summo tactu per frictionem tenuem mediocrem ac vehementem usque ad ipsas virgarum plagas; sic in rebus ad fricandum adhibendis, quarum primas obtinet partes, manus ipsa nuda mollis praesertim, quae quales habeat vires mox efferam, tum pannus laneus linteumve, deinde instrumentum veterum manica vel strigilis recentiorumve spongia taliaque praeterea multa.

Haec ipsa sufficiant de voce intelligenda, jam vero de utilitate frictionum tractandum erit, quoque modo fuerint adhibitae, salubria illa quae praebuit hoc medicamen abs quibusnam viris praesertim descripta, quaque ratione talia fieri putemus. Hic duae illae cum nobis se afferant viae, analytica atque synthetica hac pergamus duce, atque primum Veterum tempora percurrendo videbimus, quibus sit a viris magni habita frictio, tunc his finitis colligemus, quamobrem in diaetetica, quoque modo, quibusque in morbis fuerit adhibita: his etiam ad finem perductis, gravissima difficillimaque nobis restat ratio perhibenda, quo explicandum sit modo, has agere frictiones; hic enim veterum medicos incertos tantum nobis fore duces, quis est qui neget, illosque sicuti ipsos recentiores saepe in eo haesisse, quod naturae ef-

fectus modosque agendi sua ad systemata modosque cogitandi quasi aptassent, horumque ad formam assumendam coegissent.

Hominum certe primi, ut ex toto concludere licet paucissimis iisque externis tantum morbis subjecti ad ea quae vel occasio vel praesertim instinctus aliquis, innata rei alicujus ex ratione non orta facultas, illis subministrabat confugiebant. Sic vero unicuique patebit, in tumore aliquo externo ad hunc fricandum illos fuisse permotos, cum in infante tenerrimo ut mammas capere, ita etiam locos fricare atque tangere videamus dolorificos, ipsi cum dolores sunt interni; quare prima omnium sicuti sine dubio medicaminum externa erant hoc nostrum primorum unum fuit, cum homines non solum sed ipsa animalia hanc moveantur ad opem sibimet ferendam. Dolores leniundo, voluptatemque aliquam simul excitando, quod optime in animalibus videmus, magnam certe praebuit utilitatem; cui vero hoc compescuit aerumnas is alteri debili ac aegroto sui laudavit atque intulit medicaminis vires. Res fide accepta, quo potuit modo, salubriter egit, atque quae est hominis conditio, quod cum pauciora illi adsunt, unuscujusque usus latior illi vagat, nostrum certe auxilium jam primis inde a temporibus pro valido, vix non omnibus salubri morbis habebatur, qui nempe morbi illis tunc erant pauci iique externi. Egit vero tum forsan hoc duplici modo, primum dolores leniendo atque his, effectus prius nunc causa morbi factis, mitigandis exercitatione corporis, suaque propria vi somno causa erat, quem simul adegit repetita assidue eadem res, ut fontis murmur sopiendi exserit vires. Jam vero vi illa reproductionis in somno majori, transpiratione aucta requieque virium facta, melior valetudinis exstitit status. Mox hominibus Dii advenere, cum iisque simul hominum vel callidissimi vel utilissimi eorum ministri; tunc vero ut quibus superstitio mentem alligarat, illo in somno non solum Deûm

iras vel placatas cum dolores corporis remissi, vel his etiam in somno perdurantibus acres adhuc viderunt, sed ipsis de medicaminibus morbi sui nonnulla pervolutavere, quis vero miretur hunc sibi somnum mox sacerdotes illos, voluntatis Deorum dictos interpretes, arripuisse, ut illos penes omnis sit morbi, ceu caelitum irae, medela: sic fortasse famosa ista exorta est incubatio, quae mox secreti modo facta, partim ut aegrotus solum quasi se videat divum in manu nec spes fuas cogitationesque gentis suae turbent voces atque affectus, tum tota haec actio ut solemnioris aliquid haberet quod validissime in aegrotum certe egit; sic medicamina indicta vel simplicissima vel futilia vel experientia teste utilia, cum fide accepta majorem saepe praebuere virtutem quam mica panis hystericis data, novi certe sub medicaminis forma. Hoc fortasse modo frictiones illae accuratae assiduaeque in fanis institutae dolores leniendo somnumque alliciendo plurima fecere in incubatione ista apud veterrimas jam usitata atque efflagitata gentes. Sed ne alterius hac de re tantum meminisse videar opinionis, simul est confitendum, non solum plures credidisse, hunc in delubris somnum magnetico illi somno quam maxime saltem esse affinem, sed vere etiam illas voces omniaque de medicaminibus multa similia cum magneticis habere nostris; hic tamen anne jam ab initio affuerit magnetismi vis, vel, cum incubatio hanc supradictam duxisset originem, postea tantum magneticae huic se immiscuerint vires, nulla denique an magnetismi hic nec principio nec postea affuerit virtus, haec sub judice lis est, nec mea certe sunt, tantas dirimere lites.

Locus hic forte erit suus rei alicui frictionibus propriae non praetereundae, est enim non multo efficacior solum, sed ne comparanda quidem frictio ab aliis facta, frictioni quam ipsi nobis inferre possumus, quod ipsa nos docet vetustas; nam in omnibus de frictionibus scriptis unum tantum inveni locum ubi de frictione ab aegroto

sibimet inferenda fit sermo, atque hoc quidem eo in auctore quo florescente frictionum nondum valde erat exercitata ars, nempe in Hippocratis (secundi) diaeta acutorum 31, ubi de frictionibus in balneis disserens monet, ne ipse hoc sibi faciat aegrotus; huic rei variae possunt afferri causae, primum, quod omnem locum fricandum aeque ac alii non possumus tangere, aegrotis praesertim illis quibus frictione foret opus, tum forsitan electricitas aliqua aliena movetur frictione, de qua infra dicetur, deinde etiam Mesmerismi sectatores a mutuo illo hoc deducunt hominum influxu.

Cum vero de gentibus veterrimis dicendum, quarum adhuc nobis restant certiora aliqua nec plane incertis nixa mythis, ad Aegyptios nobis primum erit confugiendum. Hic igitur populus, ut ex omnibus disciplinis, ita praesertim ex geometria illorum intelligere licet, strictissime primi in aliqua doctrina auctoris magnique magistri servans praecepta religioni habebat his excedere ex finibus arcte conscriptis, atque usui tantum intentus generalia illa ex singulis colligenda numquam desideravit. Talem vero apud gentem utilitate sua laudatus ille in templis somnus, sacerdotibus viris ut callidissimis ita praesertim minimas res secreti loco habentibus, ut ex Pythagorae, discipuli eorum, doctrina colligere licet, apud quem quinquenne exigebatur silentium suam ad fidem adipiscendam, his dico viris somnus ille magno erat auxilio mysteria augendo atque voces illas inconditas motusve somnolentos, Deorum quasi intelligentes signa, explicando. Ad diaeteticum frictionum apud Aegyptios usum quod attinet, magnus certe erat ac ut omnia eorum definitum, ad norma constitutus. (Prosp. Alpini de medicina Aegyptiorum L. III. p. 112.) Usus enim frictionum in balneis apud Aegyptios ita fuit familiaris ut nemo ex balneo non fricatus abierit. Imprimisque a pedibus incipientes qui fricant, eos antrorsum retrorsum sinistrorsumque movent, et mox crura et coxendicen undequaque terque quaterque; po-

stea ad manus exercendas transeunt, sigillatim vero singulos exercentes manuum digitos et mox cubitos atque ab his humeros et scapulas, deinde collum primo, tum ad caput transgressi secundo tertioque ad pectus atque dorsum quo ter quaterque facto distenduntur fricati super pavimentum corpusque omne molliter fricabatur deorsum versus; est vero frictio haec initio mollis et mediocris (quoad multitudinem), mediocris (de vi) ac multa tum denique dura et mediocris, quae cum panno fit aspero ex lana caprina parato: accedit singulare aliquid Aegyptiisque proprium; hanc enim ante frictionem vomitu stomachum levare studuerunt, cum, hoc ni fieret, frictiones valde nocituras esse arbitrarentur, ac confitendum quidem est ventrem plenum non esse fricandum, at apud Romanos Graecosque post prandium ita fricabant, ut evitando ventris regionem musculos tantum vicinos molliter tangerent. Quales Aegyptii ipsi frictionum esse effectus putarunt mihi ignotum est. Quae enim Alpinus hac disceptat de re ex Galeno, medicisque sunt petita Arabum ea tantum sunt verisimilima, quod lassitudinem quidem illas fugare, sed nullo modo degestionem adjuvare putaverint. Aegyptiorum vero doctrina in populos non solum vicinos, sed ipsam transiit in Hellada a Graecorum illinc petita philosophis, mox colonis Grajum illuc delatis, horum se immiscebat inventis; sic hac etiam in regione in praeparantibus ad incubationem frictiones videmus, sed praeterea etiam ut istum apud populum diaetetice saepissime adhibebatur, sic in balneis praesertim, ubi earum paene factus est abusus. Hanc vero apud gentem aliud quiddam est exortum, nostram ad rem quod maximi fuit momenti, de quo infra plura erunt dicenda, frictiones nempe illae gymnasticae: athletarum enim diaeta quanta cum cura exercebatur, nullus est qui ignoret: frictiones ideo etiam, postea sub titulo praeparantium atque apotherapeuticarum regnantes, jam tunc majorem exigebant diligentiam fueruntque, ut apud Aegyptios homines,

illas qui inferre fricandis scitissime callebant; medici eadem ex causa gymnastae (ὑγιεῖνοι) facti atque paedotribae, quorum illi diaeteticam in quacunque exercitatione utilitatem, hi adhibendi modum sapiebant, atque mox ipsa sophistica cum calliditate de frictionibus, earum usu, modoque easdem ahibendi, illis est distinctum. Sed omisso hoc hysteron proteron ad primum illum revertar medicum semiotices atque pathologiae quasi auctorem; qui vir ut omnino pauca ex anathematis plurima ex sese ipso depromsit, hic etiam quoad frictiones leges omnibus eum insequentibus dux exstitit, his illis cum verbis: (Hipp. de victu.) „Frictio si vehemens fit, durari corpus, si lenis molliri, si mnlta, minui, si modica, impleri."

Haec est quasi basis omnium quae postea hac dicebantur de re, ut Galenus hoc scite defendit, Theonem improbans gymnastam frictionum effectus nimio variegantem. (Gal. de san. tu. L. II. u. fine.)

Insequitur tunc ut tempore ita ingenii dotibus Diocles, qui in diaeteticis suis scriptis multa Caelio Aureliano teste, de frictionibus docuit atque ipsis in febribus adhibendas censuit. Qui post hunc exorti dogmatici, paene nil hac scripsere de re usque ad Heraclidem Tarentinum empiricum, qui rursum frictionum in diaeta usum comprobavit. Exoritur nunc frictionum auctor magna cum arte adhibendarum Asclepiades, qui Romam adveniens eo tempore, quo odium erat in medicos, ob crudelitatem medicorum saepissime antea exhibitam, atque Epicureorum florebat secta, horum doctrinae suam superstruxit, acceptissimus Romanis, morbos se dissipare dicendo iisdem quibus sani gaudent exercitationibus: haec de illo Plinius (H. N XXV 3) quae cum unusquisque sibi praestare posse intelligeret, faventibus cunctis ut essent vera quae facillima erant, universum prope humanum genus circumegit in se, non alio modo quam si coelo emissus advenisset. Sanis nocere docet exercitationes Erasistrato connivens, quasnam ob causas hoc sit opinatus, incertum, cum Mercu-

rialis de arte gymn. 4. 2 factitias tantum proferat: de hoc viro Celsus scholae eclecticae sectator. (L. II. CXIV).

De frictione vero et gestatione adeo multa Asclepiades tanquam inventor posuit in eo volumine quod communium auxiliorum inscripsit, ut vel maximam partem in his consumserit.

Pergit Celsus docendo, omnia tunc temporis viventium inventa hac de re jam in Hippocratis contineri verbis ex quo concludit, frictionibus esse utendum cum aut corpus sit adstringendum quod fluens est, aut emolliendum quod induruit, aut digerendum in eo quod copia nocet aut alendum id quod tenue et infirmum est.

Asclepiadis etiam discipulus Themison magni fecit frictiones, in morbis adeo acutis, quibus olei olivarum adjunxit inunctiones, quod tota sua retinuit schola, cujus ultimus discipulus ille exstitit Coelius Aurelianus, abs quo etiam certissima maximeque accurata nobis adsunt de frictionum in morbis usu, in acutis hic ad finem magis eas subligat nec Asclepiadi connivet, qui eas una cum gestatione ipso in febris laudat paroxysmo, pro repudiandis tamen leniter si fiant non habet: in chronicis vero vix umquam has laudare omittit, et quidem saepius ea cum vi tantaque cum accurata diligentia non solum in gradu sed etiam in variis modis unctionis in variis membris unguendis in amplexus genere in monendo ne absque praeceptore fiant, ut sat perspicere liceat, quantae illi curae fuerit frictio; sic praesertim de illius curatione, quam dicit, in encephalaea moneam in arthritide polysarcia aliisque, facile etiam ex hoc percipitur, alios ejusdem scholae sectatores nimios fuisse in frictionibus laudandis ut in diaeta ita in morbis cum ipse Aurelianus caeterorum hac in re studia mitigare velle videatur. Doctus ille etiam Plinius aliqua de his commemorat (XXVI. 3 XXVIII 4 — 7) sed sunt trita illa Hippocratis praeter quod censeat, viris quibusdam inesse propriam vim tangendo sanare tumores. Aretaeus

Cappadox eclecticae itidem scholae discipulus in diut. morbis sanandis docet, in convalescentibus atque in vertignosis primo in pedibus esse incipiendum atque ultimo caput esse fricandum; in epilepsia monet pinguis ne sit frictio.

Exstitit Cl. Galenus Medicinae repurgatae auctor, hic quidem non respuit frictiones qui tanta cum cura quo modo qua qualitate qua quantitate sint adhibendae enarrat, illos tamen inter quos Theonem praesertim, improbat qui nimis amplam ut utilitatem ita nimis varios frictionum adhibendi modos effecerant, ipse quamquam majori saepius varietate gravisus, hic simplex atque gravior. Collegit denique Juliani archiater. Oribasias praecipuam frictionum utilitatem quoad diaetetica ex Galeno, quoad febrem harum ope pellendam Herodoti refert verba de quibus ut gravi singularique de doctrina infra mihi erit dicendum. Inter Arabas etiam nostrum valuit auxilium ut ipsius Galeni ita aliorum medicorum auctoritate permotos. Quod praesertim a Hhonain ebn Izhac factum phthiseos dicto medela, qui frictionis hoc in morbo praecipuae laudis esse dignas censet. Praeterea in Mosch ben Maimon viri sagacissimi atque doctissimi scriptis ad alvi excretionem pluraque non ingravia impensius laudantur. Insequuntur obscura illa tempora usque post Paracelsum istum, tunc rursum in dissertationibus saepissime ventilata haec est res, cum vero jam fortiora et efficatiora multo nota essent medicamina hanc ut ad diaetam tantam conferentem negligerent, hic illicve tantum pauca hac de re innotuere ut in *Sammlung auserles- Wahrnehmungen Bd.* 5. ubi in rheumaticis malo ischiadico anchylosi atque lethargo laudatur, praesertim denique in atonia magnis ex vulneribus relicta ubi exemplum enarratur Ambrosiae Parei archiatri Caroli IX talem atoniam fratri ducis Ascot incumbentem qui sanavit sola frictionum virtute; in balneis denique Gallorum nonnullis frictiones sunt institutae, de quibus nondum

multa nobis cognita sunt. His vero jam pertractatis exhibenda sunt paucis quae ita arcte Romanis Graecisque frictionibus erant conjuncta ut vix ab his secerni queant, exercitationes illas dico gymnasticas aliasque ipsas etiam nunc magis neglectas. Est vero ars gymnastica illa sine qua Plato et peripatheticus ille philosophus censuere nullam perfectam esse dicendam civitatem: hae exercitationes multis hominibus simul peractae voluptatem his allicuerunt ludis utilitati medicaminum diaeteticorum plane necessariam. Hanc vero rem Persis valde cordi fuisse et notissimum est et Xenophon in Cyropaedia scitissime refert. De Romanis, et Graecis ne verbum quidem est faciendum quis enim non meminerit Lycei Academiae palaestrarum, quem latet campus Martius thermae arena. Cui ignota sunt Pindari Carmina, quis ignorat quantam acceperit gloriam victor Pythicorum vel aliorum horum certaminum solemni modo institutorum: Tanta tamque gravia erant certamina quibus corpore vigere fortioribusque esse libuit, talia athletica nobis necessaria non esse lubenter concedo at.

Non possis oculo quantum contendere Lynceus
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi
Nec quia desperes invicti membra Glyconis
Nodosa corpus nolis prohiberi chiragra.

Haec omnia si domestica nobis forent, multo etiam accaratius esset distinctum, quaenam aegroto sanove laudandae exercitationes; quae est enim differentia inter venari equis vectum ubi simul voluptas adest praemii spes omne ubi agit corpus, ac venari pedibus, solum, vel equo tantum gestari; quantum distat anne in planis incedas juxta littoris arenam calidiorem quae ad Caelii sententiam sicuti metallorum exhalatio raborandi habet vim, anne in altis atque abruptis circumvolites, in valle inambules umbrosa vel in apricis sudes, quid denique differt anne solum procedat vel etiam saliat currat, alios cursu superare studeat ad metam primus ut accedat, taliaque multa; ita ut non solum in pharmacis nobis distinctio sit acutissima,

sed in his etiam mens sagax maxime propria cuique eligere possit morbi valetudinis sanitatisve statui. Atque hoc ne semel ut fiat bisve, sed unoquoque repetetur die; sic in Romanorum balneis perpetuo strigiles illae affuere fricandis hominum corporibus destinatae, strictura facta ad praescripta gymnastae et sententiam paedotribae, quem penes erat gymnastae jussa quam optime perfici, modo nudis manibus modo unctis modo cum linteis alias duris alias mollibus alias asperis vario ac diverso modo, prout opus erat, est fricatum. Post hos accedebant unctores et reunctores ita a Celso noncupati quod corpora jam exercitata unguerent reunguerentve; huc praeterea contulit thalamorum ad balnea pertinentium numerus certe non parvus, denudari, pervagari nudum thalamos oportuit intrare balnea calidiora frigidiora invicem, at tempore magno intermedio; tum denique balneorum ea fuit consuetudo atque necessitas, ut Lucianus Timoclen hortatur ne pro mercede apud divitum aliquem conducatur ad partes philosophi Graeci pone hunc exercendas, in teterrimis hoc esse ducit ipsis balneis tali frui non licere. Praecedebat vero ludis frictio praeparatoria cujus utilitatem ac modum Gal. in L. de san. tu. fusius explicat de qua infra enarrabo; incedebant tum ipsae exercitationes, quarum primus *cursus* vel pedibus factus est vel equis et mulis vel cum τεϑρίππῳ.

Cursum excipiebat saltus, cum halteribus, disci jactus et acontii: hae vero leviores sunt dictae exercitationes. In gravibus erat

Lucta πάλη (unde palaestra dicitur ille locus ubi ad colluctandum homines convenere) quae erat vel dejectoria ubi amplexibus sese devincebant vel acrochirismus ubi manus tantum protendendo adversarium vincebant; sic Ovidius illa in eo Acheloo suum cum Hercule de Deianira enarrante certamen.

„Cum pede pes junctus totoque ego pectore pronus.
„Et digitos digitis et frontem fronte premebam.

Succedit his *πυγμαχία* pugilatus, cum laminis aëneis manibus adligatis. Ex lucta atque pugilatu componebatur pancratium ubi etiam dejecti alterum vel ipsis unguibus ac dentibus retinere studebant. Ab his tandem acribus exercitationibus ad leviora sensim redeuntibus ad jactus cursum ambulationemque, postremo omnem tollebat lassitudinem sordesque apotherapia, spiritus continens retentionem atque frictionem, floridus usque summa in cute apparuit color atque artuum rediit flexibilitas, hanc vero frictionem inter validiores retulit Asclep. (Cael. Aurel. morb chron. III. 8) perfricati oleo dulci inungebantur alias in sole alias ad ignem, quae magna erat apud Gymnastas differentia, ita ut hac etiam ex re frictionum petere divisiones voluerint, quas Gal. praesertim ad rem non pertinere censet, atque de his quae scripta, refutat.

Sed haec magis athletica illa erant; quae vero ut diaetetica, ipsis quibus a sanitate jam recedebat valetudo, erant audata paucis exponam. Erat ex his saltatio vel

1) cubistica in caput vertendo
2) sphaeristica cum pilis ludendo motu amoeno
3) orchestica quae vulgari dicitur modo saltatio.

Motum praebet tardum mediocrem piscatio navigatio: inambulatio sub Dio, sub tecto in mixta umbra (*συμμίγη*) in loco frigido, calido, humido, sicco, perpetua, assidua, aequalis, intermissa: sic equitatio praesertim prodest, quibus tenuitas crurum (ut Germanico), tum equitando ipsi calculi in vesicam descendere dicuntur, quibus vero aegrotis morbus in parte nobiliori insidet, his motus sint tardi ac remissi. Adsunt praeterea schiamachia in palum, ecplethrisma *πιτυλιζειν* (quod est, summis pedibus ingrediendo manuum unam antrorsum alteram retrorsum celerrime movere) tum vociferatio lectio stomacho affectis utilis dicta sonis gravioribus incipiendo, equitatio vel lentior ubi solam infert lassitudinem vel celerior quae amblyopicis hypochondricisque prodest. Gestatio

etiam

etiam suas nobis affert opes, lenissimarum una exercitationum, quae somnos conciliat, quod in essedis fieri consuetum ac eundem veternosis pellit, de qua Celsus talia fere docet L.II. CXV: si lingua non erit aspera, si nullus tumor nulla durities nullus dolor visceribus aut capiti aut praecordiis suberit, sive in parte est, sive in toto, nisi tamen solis nervis dolentibus: neque umquam in febre sed in remissione ejus, in incubone contagioso quodam tunc regnante, forfe mimetico (*v. Osiander Entwickel. Krankh.*) in haemoptoicis, in elephantiasi, in colicis, in arthritide, melancholia. Gestatio lenissimo modo vel in sella fit fertoria vel in lectica, aut rheda, in cunis, navigatione juxta litus, in lecto pensili ab Asclepiade invento (v. Aretäum de morb. acut) quod vero tantum apoplecticis detur; podagricis imprimis atque hydropicis utilis est haec exercitatio; omnes conjungit pila voluptates ac motuum varietates. Quibus vero denique laudibus prosequemur venationem, de qua Rhazes testatur in peste quadam ejus tantum sectatores hoc caruisse malo: Maxime igitur omnes hae exercitationes in nervosis, qui dicuntur, affectibus, adhibendae, sic in epilepticis maniacis, spasmodicis, tum in irritabilitate debiliori polysarcia rel. sed rursum monendum, multum differre, anne sub Dio fiat anne sub tecto, in gramine, in arenosis, dumosis, in elatis atque abruptis, lentius, celeriusve. Horum ad eligenda propria cuique, medici mens sagax atque in his rebus versata desideratur, sed suam certe tunc praebebunt utilitatem. Aegros vero exercere calluit jam Herodicus, hac quidem in re ab Hipocrate vituperatus, at praesertim Asclepiades magnae ille scholae auctor.

Exercitationum non omni forsan jure neglectarum summa paucis descripta, transgrediamur ad frictionum usum, ut in diaeta, ita in morbis.

Est vero frictionum genus, in quo nullus adhuc impensus labor, nullaque, quod sciam, dedita opera, titillatio, quae tactus est repentinus atque

abruptus, locorum praesertim, quibus magna, magnis ab illic conditis nervis abundat sensibilitas, sive ubi coenaesthesis validius regnat. Promovet illa diaphragmatis ad risum convulsiones motionesque efficit totius corporis quasi spasmodicas, ipse hominem aggreditur sudor vel ex motione vel celeriori ex vasorum contractione prolicitus. Validum igitur certe est auxilium cui nonnulli tantas tribuere vires, ut salivam titillatis copiosius profluentem validum duxerint esse venenum; sic in asphyxia atq. morte repentina violentaque de qua vel ut fiant certiores vel ut vitam proliciant paene exstinctam, titillationem in plantas talesque intulere locos. Affert haec somnum lenem quem nec medicamine excitare volumus nec ipsa adducere motione. Ad sanitatem igitur tuendam ad diathesin removendam experientia forsan in hac aliquas inveniet vires, in leniori vel fortiori, modo repente modo exspectanti allata; conjuncta est simul cum sensu non injucundo atque ad archiatri Medicorum sententiam ea sunt optima ad sanitatem tuendam quae jucunditati conjuncta, nostram sibi annectunt voluntatem. Est in hac exercitatione tanta hominum differentia, ut huic imminentis titillationis metus excitet cachinnum, illum ipsa vix moveat titillatio. Haec demum praesertim exercitatio tantum ab aliis, paene nil a nobis ipsis facta prodest. Paene contrarium huic et tamen affine virgis est caedere, quod cutem praesertim validiori excitat modo; quam ipsa frictio vehemens, cui tamen simillimum; hoc forse utile in hydrope anasarca in anaesthesia in exanthematibus suppressis, in hemiplegia, impotentia virili: talibusque multis. Liceat mihi vero sub frictionibus quarum mox deducam usum, comprehendere tenues mediocres ac vehementes, multas paucas hisque intermedias, manu nuda linteove pannove laneo factas, ipsamque denique unctionem cum oleo Olivarum factam, quippe quae in veterum scriptis a sicca vix potest disjungi. Infra vero aliqua a subjungam de effectibus horum singulorum propriis.

Quod ad diaetam igitur attinet, Galenus in L. de san. tu. sic fieri debere frictionem censet, ut in hoc sicuti in omnibus exercitationibus quaedam adsit harmonia; oportet igitur linteolo totum corpus mediocriter fricando, prius calefacere, mox oleo fricare antea videlicet quam cutis incaluerit (ne calor possit dissipari.) Ei rei satis omnino sunt pauci manuum circumactus, qui nulla compressione sint graves, et modice celeres, his sic peractis videre licebit ruborem floridum totam diffundi per cutem. Tum igitur pingue inducendum est et manibus quae medium inter molle durumque servent infricandum; in fricando primo fiat contrectatu blandius inde sensim paullo fortius quod jam carnem manifesto premat semel ac bis ut robur revocetur, laxitasque evanescat quae frictionem est mollem consecuta; quam maxime autem varii sint hi amplexus manuumque circumvolitatio. Sic facta est frictio illa praeparatoria atqne apotherapeutica, exercitationum ultima, quae cum spiritus retentione ac balneis erat conjuncta; quorum hic fere erat ordo: spiritus retentio, defricatio cum strigili, intravit frigidam tum frictio illum excepit, atque tum denuo in frigidam descendit; de multitudine frictionum medico gymnastae ad anni tempus, ad hominem fricandum ad orbisque locum erat definiendum, hic ne refellendi quidem digna mihi esse videtur gymnastarum illa sententia, frictionem rectam emollire, transversam constringere. Matutina etiam plerisque apud Romanos, atque vespertina facta est frictio ubi unguebantur molliterque fricabantur mediocriter et parcissime. Hac enim frictione succurrere digestioni voluere, non cutis carnisve mutare habitum; homines duri molli utebantur hac frictione, laxi vero cum linteo fricabantur vel cum manica (χειρίδιον). Mane vero fricandum leni modo, tum multa utendum quiete, dein deambulatione, post quam tandem multa adsit frictio. Vespertina denique frictio fiat post prandium ac alvi dejectionem ubi caveas, ne ventrem tangas, muscu-

los tantum fricando vicinos, lassa suspensaque cum manu. Diaetam vero, Galeni ad sententiam scite dividere possumus in paedisticam, acmasticam, paracmasticam, gerocomicam quae ὠμογεροντες ac senes vulgari modo sic dictos continet; ubi pueris mediocri, juvenibus ac viris fortiori, senibusque tandem molli erit utendum frictione ac potius ipsis unguentis ni morbus affuerit. Valetudo seu diathesis huic est annectenda media haec inter morbum atque sanitatem quam labefactatam restauravit Medicina gymnastica, viam morbo indicante praeterito, quos apud homines, accuratior exercitationum erat electio majorque cura apotherapiae. Mihi si qua edere hic licet, illam Romanorum diaeteticen severam non plane esse accipiendam reor eadem fere dicendo, quae Plutarchus in Philopoemenis vita, non athletarum vigorem sed usum civibus praestandum finem nobis esse debere, at contra hoc etiam forse confitendum, nobis diaetam magis ad ea vertere, quae intus sumuntur vel quae fieri prohibemus atque ad ipsa facienda negligentius tantum nos procedere. Utilitas vero frictionum diaetetica fuit: primo concinnum totius corporis habitum proliciendo, ad exercitationes ad diei opera exsequenda hominem aptum reddere; hic frictionum effectus erat, matutinarum ac praeparantium; tum lassitudinem fugare qui erat apotherapiae finis, tum denique digestionem adjuvare atque transpirationem, somnumque adducere lenem vespertinae ope frictionis sunt moliti.

Haec de frictione sufficiant diaetetica, nunc ad ejus salutares in morbis vires progrediamur. Morborum vero summa in acutos discedit atque chronicos, quae divisio ad frictiones maximi est momenti: plurimi enim, inter quos ipsius Asclepiadis sectatores, censuere, vix in acutis adhibendas esse morbis, qua de re Celsi in fine producam sententiam non spernendam, nunc de singulis morbis est disserendum.

De frictione ad febrim pellendam multa non

praetereunda in libro inveniuntur Herodoti de auxiliis quae fiunt; ubi censet, in extrema parte status morbi ut non longe a declinatione absit (tantum non adsit inflammatio, in criseos initio frictio fiat in junioribus abs quatuor in majoribus a sex hominibus, ita ut alii in homine reclinato brachia ad manus digitos usque fricent, alii thoracem usque ad inguina alii denique crura usque ad pedes, sic ut omnis pars infricetur, tum denuo eodem modo in homine fiat prono, ac principio quidem levi manuum injectione lentaque, deinde vero celeri et comprimente, postremo remissa; singulas partes in junioribus centies in adultioribus numero duplicato fricando. Quo vero tempore frictio adhibetur, si multa hilaritas, febris fugata respiratio facilis et bonus color, pulsus nec minor nec densior, caroque tumens, augendus est frictionum numerus! at si iis qui fricantur sudor profluit, qui prius non apparebat, tum scire convenit, recte progressam esse frictionem, repetenda tamen est, atque hic etiam nil cum videatur, tamen, exspectanda crisis. Vel enim remanent aegroti in eodem statu frictionum ope adjuti ad morbum pellendum vel alteram morbus subit formam intermissionesque capit, vel febris fit vehementior et eodem die cessat: Si vero a manuum injectione ulceris existit sensus, desistendum, etiam cum nimio a frictionibus afficiuntur calore, atque tempora remissiones sunt exspectanda, si vero adhibita frictione in febribus diuturnis ac intermittentibus accidat, ut continua et vehemens insequatur febris, movere illum et turbare non debemus, quandoquidem inde statim aeger recreabitur: at si febris segnis, corpus delassatum, respiratio densior, cesset frictio, ex qua intempestive adhibita tremor atque convulsio oritur, atque inflammatio carne in tota corporis mole humescente. Haec mihi plane percogitatione digna esse videntur, quamvis enim nullo mihi placeat modo, in febribus tanta audere, cum alia certioraque nobis praesto sint medicamina, alia ta-

men a parte gravia praebent; dicitur enim Magnetismi virtus praecipua in crisibus efficiundis, quod ipsis hic in frictionibus fieri videmus; anne vero motio corporis hoc efficiat, aliave causa vix dixerim.

In phreniticis unctionem laudat Caelius Aurelianus (v. Cael. in morb. acut. de phrenit.) cum oleo vel hydrelaeo; ad Asclepiadis sententiam gestationem subjungit; pleuriticis unctio utilis est pedum derivans, peripneumonicis fricatio leni calidaque manu, et ad Soranum gestatio. In exanthematibus docet Caelius, ubi macies fit interna ex humorum affluxu ad cutem., exercitationum ope illarum, quibus interna vigent, ni cutis vitia plane tollerentur maciem certe evanescere ipsasque febres. Hic vero mihi multa nondum certa esse videntur; in exanthematibus enim acutis magno foret cum dolore conjuncta omnis frictio, ideoque jam aliae etsi non subvenirent causae, omittenda, in exanthematibus chronicis vero cum ipsos locos affectos fricare non liceat, derivando tantum aget, ac sic forse in validis illis exanthematibus, ut in elephantiasi lepra defornitatem arcebit saepissime remanentem. Sunt vero alia maxime utilia quae frictio hic exhibet, sic in achoribus praemature repulsis in scabie, erysipelate, petechiis, purpura, variolis vel revocandis vel proliciendis, quod in variolis certe gravissimum, ubi magnae saepius nobis curae est, ut sat magno prodeant numero. Hic igitur mortem fugat frictio periculaque maxima imminentia. In rheumatismo, in inflammatione leviori erysipelacea dolores sedat frictio membra vix tangens atque blanda, ipsam quae simul adjuvat transspirationem, ad sanitatem certe aegrotum celerius reducit; tantum validae hic ne inferantur frictiones impense monet Aurelianus. Parvi igitur non habenda est illa concinnitas scitaque fricatorum ars apud Aegyptios, Graecos, Romanosque quod ut Prosper Alpinus (v. Pr. Alp. Med. Aegypt.) ita ipse Galenus suis laudant in operibus justo enim quae

sunt validiores frictiones catarrhum, nimis diuturnae spasmum producunt nimisque paucae magis turbant quam sedant, ac sic a manu indocta illatae saepe majora utilibus inferent damna; omnino ad finem in morbis acutis relegari debet frictio, semper vero exactissima cura de modo illius atque genere est habenda; audiamus hac de re C. Celsum. Ungi leniterque corpus perfricari etiam in acutis et recentibus morbis oportet in remissione tamen et ante cibum. Longa vero frictione uti neque in crescentibus convenit, praeterquam cum phreneticis somnus ea quaeritur.

Magnam hic esse inter unctionem frictionemque mollem differentiam, ita ut illa in ipsa febri adhiberi possit, certiores nos fecit experentia. Hippocrates in acutorum diaeta unctionem in balneis vix admittendam censet, vel plurimis definitam conditionibus; inuncta sint calida, multa affundatur atque frequens aqua, * alii aegrotum fricent, spongia utendum loco τῆς ςλεγγίδος: post venaesectionem etiam laudat frictionem. Sequamur igitur acutis in morbis duces Hippocratem Asclepiadem Celsum Caeliumque; Herodotus tantum hinc dissidet, sed quid hujus de sententia censendum, jam supra indicavi.

Ad chronicos vero quoad morbos maximi certo est momenti frictio; in his enim non ipsum solum pathema spectari debet, sed eorum etiam effectus, qui nunc per se perdurant, ac novis ipsis caussa fiunt morbis, haec vero vitia remanentia atoniam quandam in parte praesertim corporis aliqua annexam habent, quae certe optime tali remedio levatur diaetetico: est enim ea vis frictionis, ut vel tantum mitigare vel sola aliquid consanare vel cum aliis diaeteticis omnia in quibusdam morbis efficere possit. His chronicis in morbis omnem suam exseruit varietatem, mox enim manu facta, mox panno molliori vel crassiori mox commodo cum instrumento, adhibita modo vel intermissa unctione, cum spiritus retentione vel ejusdem vehementi cum emissione.

Saepe fasciae abdomini lumborumque regioni circumfundebantur atque trahendo in utraque earum extremitate sic fricabant. In apoplexia continentem laudant artuum tactum lenem, sed sic forse tantum in apoplexia sanguinea ubi in pedibus optime instituitur ad derivandum, in serosa vero toto in corpore fieri licet atque fortius paullo; in gastrica paene plane omittenda videtur, huc porro pertinet vocis amputatio (φωνης ἀποκοπη) ubi praeter frictionem gestatio posteaque anaphonesis prosunt. Laudantur praeterea frictiones in animi deliquiis in hominibus aquae submissis et asphycticis, ubi per consensum agere videntur, sed de his nil amplius legendum, cum recentius etiam in his omni cum cura instituatur frictio, quanta vero cum utilitate jam innumera docuere exempla; tantum hic est monendum, quod cum in his alicubi sit congestio, frictio instituatur derivatoria in parte aliqua remota, atque a molliori semper incipiens postea fiat vehementior ipsique tum panni fasciaeque atq. instrumenta insequantur: praeprimis vero utilis est in corporibus congelatis ubi tantum caveas ne validiori aliqua frictione partem frangas congelatam; cum frigidis incipiendum manibus quae ipsa frictionis diuturnitate incalescunt, ac sic duplicem praebent utilitatem.

In paralysi etiam magna nostri medicaminis est arena: omnesque gymnasticae partes omnimodo variegatae hic se invicem insequantur; docebunt hic lenia quanta efficere possint: hic enim gestatio hic deambulatio, summa per ligna transcendere, frictio modo vehementissima, modo lenissima, manibus cera data emollienda posteaque halteres, multa certe efficiunt a medici mente temperata docta: anne vero nostrum hic medicamen per consensum, perve electricitatem fricando motam, aliamve egerit per causam, infra qualibuscunque meis viribus explicare studebo.

Porro etiam in impotentia aliquid conferet frictio, agit vero hic praesertim urticatio virgisque

caedere de quo videas sodes, Meursii elegantias Lat. serm.

In spasmis ut tonicis ita clonicis magnam suam comprobavit utilitatem praesertim vero in chorea. Tetanicis, censet Asclepiades omnes esse spinae spondylos per diem noctemque jugiter fricandos (v. Cael. Aur. morb. acut III. 8. p. 216) In epilepsia jubet Aurelianus nunc manibus calidis caput atque frontem blanda cum fricatione nunc collum atque gutturis partem, anthercona tangi, aliis etiam manuum extrema pedumque teneri; tunc unctio lenis calidaque omnibus praecedat adhibendis. Quanta vero cum cura talia Galenus tractarit ex consilio videatur, quod puero dedit epileptico haec fere docendo. Primum linteis corpus rubefacere oportet, a supremis ad inferiora sensim manus detrahentes sumto a brachiis initio manibusque deinde ad pectus et ventrem est procedendum. Postea vero et crura exactius sunt fricanda. Ultimo denique ipsum caput est fricandum, si absque pinguedine administretur frictio, nam ad ipsum statim accedere caput valde periculosum. Si vero oleum admoris nil prohibet, quin caput simul cum aliis tangas, ita ut hic quidam caput fricat alii verum duo pectus ventrem duo, aliique crura. Fortasse hoc in morbo ea praesertim est pars fricanda, unde aura ista ascendit epileptica, meliusne vero sit molli hic vel vehementiori adhiberi modo nondum mihi est compertum, hic tandem etiam fasciam circumjicere illi possumus parti atque sic in extremitatibus trahendo non solum fricare sed aliquo modo etiam subligare.

Raphaniae certe hic meminisse oportet, in qua duo pathemata adsunt a frictionibus levanda, convulsiones scilicet atpue dolor seu formicatio; omni igitur cum laude ac utilitate hic mollis illa praesertim est adhibenda frictio, acri cum hoc in morbo etsi ad sanationem forse nil conferet, solis mitigandis illis affectibus molestioribus, magna ab illa accepta referemus.

Spastico tum in asthmate ipsa articulorum frictio lenis calida cum manu hujus anxietatem valde imminuit; sic etiam in asthmate abdominali hysterico, revellendo bene agit; in sanguineo ni derivandi causa in pedibus adhibita, est omittenda, in asthmate nocturno seu incubone frictio, praesertim vero gestatio medelarum titulo afferuntur.

Tussis atque vomitus magna ex parte hac re sedatur adeoque nonnumquam tollitur, sic etiam in tussi ferina utrumque ubi adest, suas afferet opes frictio, quod etiam experientia domestica jam saepissime est comprobatum.

Cardiacis laudat Asclepiades unctionem olei veteris atque defrictionem manibus calidis; in multis etiam colicae speciebus utilis est praesertim in spastica, arthritica, nephritica, ipsaque in flatulenta.

In anaesthesia ac pruritu quid polleat frictio, facile unusquisque videbit; initio vero molli est fricandum modo sensim ad vehementiora transeundo, in pruritu haec forse omnibus praestat ni causa remota adhuc subest quae prius foret tollenda, sic in exanthematibus pruriginosis optimo cum effectu est adhibita; χειϱιδιον loco, quod hic adhibuere veteres spongia nobis sufficit, atque ad dorsum scapulasve fricandas radula lignea poterit adhiberi.

In Pseudopsia vel scoomatibus eadem laudat Aurelianus, quae in Cephalaea cujus medelam certe pulcherrime ab ipso descriptam mox tradam.

Hydrophobicis leniet symptomata defrictio vehemens cum panno praesertim laneo hydrelaeo imbuto, ita ut ipsa sitis iminuatur humore aliquo corpori latente allato modo; plura etiam utilia in hydrophobia hysterica atq. exanthematica proferet, in typhosa vero eam adhiberi nolim. In hypochondria praesertim sine materia, partim exercitabit, partim etiam si frictio quadam fit cum harmonia certasque ad normas, aegrotus novorum medicaminum minus erit avidus.

In mania optimos censet esse Galenus unctiones ad effrenes furiosorum hominum motus

compescendos, sic ipse Aurelianus unctionum lenem, et meliorem totam facere rem, et exasperatum rursum mitigare censet; certe lenia continuata hic saepe plus efficacioribus pollent. Vespertina illa frictio Galeni in oneirodynia suas optime exercebit partes, sensuque externo magis affecto internus quiescet, eadem etiam in pervigiliis maxime est laudanda, praesertim cum causae illis suppetunt vel hysteria vel dolores; his enim levandis sola frictio saepius sufficit, somnumque simul allicit laborum aerumnarumque finem: sic in diuturnis capitis doloribus trituram esse utilissimam ipse nos docet instinctus, vel enim suos apprimunt fronti cephalalgici vel aliorum manus, vel etiam vehementer eos fricari jubent, maxima cum doloris immutione. Caelius vero hoc in morbo tam leni docuit progredi modo difficillimas ad exercitationes, ut facile videre liceat, quanta ipse hac in re gavisus sit experientia: Sunt vero haec fere sua hac de re praecepta. Cephalalgicus lenius jam vexatus in sella fertoria posteaqne in vehiculo feratur ab hominum manibus vel ab animalibus aequali videlicet motu: in loco lucido atque calidiori, omnino tamen si placida externa, sub Dio feratur. Sed longitudini loci praesertim est curandum, ne frequens vehiculi recursus vertiginem inferat aegroto. Tum etiam deambulatio instituatur, primo tardo gressu, dehinc fortius atque erectius extentis cruribus. Lectio fiat levi voce, tum exercitatio atque unctio, quae aequali corpus moveant modo; vestitus currat, nudus vero defricetur; tunc exercitanda praeceptore duce quae caput commovent, cursus circulati (ut mihi sic dicere liceat) atque retrogressus saltusque; ad Asclepiadem vero defrictio jam ab initio est instituenda; sic porro in odontalgia in humeris et in inguinibus fiat frictio strigili cum obtusa (strigiles vero illae Romanorum falciculae fuere quibuscum sordes defricarunt gymnasticas valido pro medicamine oculario habitas.) ipsis hoc fiat in dentibus: plurimis etiam in do-

loribus frictioni cataclysmum adjecere, aquarum illusionem partibus affectis: In intestinorum doloribus (v. Caelium Aurel. morb. acut. III. 17) fricandas censet Asclep. partes a dolore correptas cum oleo, plurimo tempore atque vehementiori modo quantum loca ipsa pati possunt.

Frictiones vero vehementiores ut dyspepsiam possunt efficere ita haec ipsa tollitur calidarum amplexu manuum, ut etiam, Caelii utar verbis, tenendo medeamus, praeterea unctio adhibeatur frictioque mollis.

In haemorrhagiis derivans frictio utilis esse dicitur. Caelius hic heliosin gestationemq. ante coenam exigit.

Quod ad oneirogoniam exercitatio diurna valida frictio que vespertina ad caput atque extremitates superiores derivabunt.

In fluxibus coeliacis propter anticulorum frigus auctore Caelio adhibenda est manuum illa tenacitas quam diacertosin vocant unctio etiam accedat. In amenorrhoea, quamquam de hac nil ipse apud veteres inveni, certe femorum atque regionis uterinae frictio multum hic proderit, catamenia etiam justo minora augebit. In polysarcia vero nobis desiderandae sunt illae veterum exercitationes hic frictio, hoplomachia, schiamachia, halteres discusque omnia efficient.

In hydropisia magna agere censet frictionem Aurelianus calida mollique cum manu illatam, praesertim quia transpirationem valde adjuvat, cutemque excitat in anasarca saltem frigidiorem facileque gangraenascentem.

Phthisicis perunctio fiat primo jacentibus, dein recuperata fortitudine stantibus.

Cachecticis unctio fiat oleosa ut Caelius censet, ne a frigore afficiantur, insequantur exercitationes, ut gestatio extra muros anaphonesis rel. hinc rursum unctio, sed omnia haec adhibito unctionis praeceptore; frictio fiat summo tactu; sic denique in atrophia unctio fiat frictioque a servis mollibus atq. obesioribus, exercitetur aegro-

tus atque a sudoribus fatigato frictio superveniat restaurans.

In crurum distorsione rhachitica ipsi recentiores pro optimo habent remedio, amplexus crurum frictionemque assiduam malam hoc tollet formam, quae saepius nec pharmacis nec machinis cessit, frictio etiam infanti rhachitico pro motione erit, qua debilis forse caret.

In podagra in omnibus arthritidis speciebus nisi durante paroxysmo plurimum valet frictio! remanet enim insignis quaedam atonia, sanguinisque affluxus major ad hos vero tumores dispellendos frictione vel sicca vel etiam spirituosa uti possumus, hic etiam sensim a molli ad fortem est transeundum; prophylactica hic etiam est utilissima frictio. Sic quoque in nodis mammarum lacteis, frictio fiat vel ipsis in mammis, paullo vero fortius in dorso atque scapulis instituatur; In strumis et omnibus fere reliquarum glandularum externarum tumoribus minuendis (prohibita praesertim ortis ex transpiratione) magnam jam praestitit opem: Ipsis multis in oculorum vitiis ut in inflammatione conjunctivae torpida, atque in hydropisia palpebrarum, frictio salubris fuit calida mollique facta cum manu. Frictio igitur in convalescentia paene omnium morborum utilissima, multis morbis saluberrima, nonnulla vitia paene sola sanat, atq. multis magnam affert symptomatum imminutionem; fugat illa lassitudinem adjuvat sanguinis circulationem atque digestionem, ciet somnum, sedat dolores, mitigat maniam, compescit convulsiones, derivat, dissolvit, per consensum agit cutisque auget calorem atque vim vitalem. Frictio mollis dynamice magis agere videtur, est illa quae compescit optimosque in morbis producit effectus, in apoplexia cephalaea rel. ab hac semper sit initium; cognata quasi est homini, multa salubria illi promittens nullaque paene damna, in homine sano solum nimis relaxat; vehemens contra cucurbitarum paene siccarum viribus similes exserit effectus, haec est quae in conge-

stione optime derivabit, quae homini laxo utilissima, in anaesthesia caeterisque talibus optima, quam nocebat haec noxam dyspepsiam efficiendo atque Aurel. ad sententiam ipsum catarrhum, optime tollet mollis illa lenisque frictio. Mediocris aptissima est homini sano ac praesertim pueris ipsas post exercitationes, fugat illa lassitudinem atque diaeteticum suum optime perhibet usum. Frictio multa rarius aliis necessaria tantum in melancholia utilis atque in pedum paralysi, quae cum vehemens simul, exercitationum validissimarum erit loco: praeterea vero in exanthematibus, arthritide, erysipelate caet, revocandis haec est quae optime fiet. Frictio pauca magis excitabit, cum vehemens praesertim, mollis vero sedabit. Numerus frictionum medius sano, atque illi cui jam paene restituta sanitas, utilissima est; cum molli facta calidaque manu somnum affert lenem, lassitudinemque exercitationibus paratam fugat digestionemque adjuvat: sunt hic, ex frictione dura molli ac mediocri, syntactice compositis cum multa pauca ac media differentiarum ad Galenum 9.; ad gymnastas vero multo hic plures adsunt varietates, quas hic ne quidem enarrare opus est, futilissimas nulliusque verae utilitatis (Gal. L. de san. tu. 2. Haec antequam relinqamus Hippocratis reminiscamur dicta; Frictio si vehemens fit durari corpus, si lenis molliri, si multa minui, si modica impleri. Sed de his jam supra dictum. Lenissima aget vi manus nuda, mollis optime sedat illa dolores perque consensum utilissima; pannus laneus aptior est frictioni vehementiori, calorem efficit majorem atque transspirationem, sanguinem melius ad frictum accingit locum, fasciae fricantes in colicis saepe ac forse in epilepsia praecipuae; strigiles sordes praesertim absumebant frictio earum mediocris erat.

Cum vero de frictionibus disserens unctionem etiam iis adjeci de his solis nunc paucis mihi est loquendum. Pertinet sicuti frictio ad studium athleticum; unctuarium aderat seu alipterium ubi

ungebantur vel oleo vel ceromate (cera oleo conjuncta) vel oleis odoratis, quod vero tantum ditioribus contigit. Corpus ita perunctum cum pulvere ex crypta Neapolitana, haphe dicto inspergebantur, ut facilius se invicem possint tenere: hoc etiam apotherapiae loco erat antea calida lavatis. Mox vero ad medicinam tota hac re translata gymnasticam, valde distinctum inter frictionem siccam atque oleosam; sic, quibus sudore opus fuit, oleo illitum non est; utebantur unctione vestimenti loco ad calorem continendum; ad siccitatem in senibus aridis tollendam, unctio facta vel cum oleo olivarum vel ad Galenum oleo chamaemelino anethino rel. Haec Hoffmannus in dissertatione de valetudine senum tuenda.

Unctiones senibus quam maxime usui esse passunt, ita easdem adornando ut partes inferiores vel maxime etiam spina ad solem vel fornacem calidam calido cum oleo v. g. amygdalarum dulcium aut pinguedine gallinarum et caponum, additis aliquot lavendulae guttis inungantur vel leniter infricentur. Veteres etiam oleo cum sale utebantur ad unctionem: hecticis vero, phthisicis in obstructionibus praesertim mesentetricis utilissima. Regio vero pectoris ungatur in asthmate spastico atque tussi, regio pubis in spasmo et calculo vesicae, regio lumbaris et inguinalis in doloribus ex calculis oriundis; utiles denique in pruritu scabiei in maniacorum motibus compescendis, atque in stupore pellendo ubi vino bonae notae erit jungenda. Quanta vero digna erit laude, si novissima illa experientia de viribus ejus antiloimicis vera exhiberet. Baldwin certe multa bonaque hac de re praebuit sed etiam sanandi etsi non illi foret virtus tamen prophylactice certe aget. (v. Baldwin *Bemerkungen über Einreib. des Olivenöls von Scheel übersetzt.*

Adest vero novissima difficillimaque illa opera in explicanda causa effectuum frictionis; hic paucis tantum veterum deducam opiniones; saga-

cissima certe illa est Hippocratis sententia, censet enim (v. Hipp. de victu)

„Carnem ut solidam astringi, vacua vero, ut vasa, dilatari."

Haec nobis forse dicentur, irritabilitatem fricati augeri loci, aliisve cum verbis exercitare frictiones roborare derivare sanguinem atque allicere Galenus vero suum ad *θερμον φυχρον* rel. haec etiam explicare studet, nam docet (v. Gal. de san. tu L. 3).

„Frictionis ope partium solidarum animalis excrementa, quaecunque excalfacta extenuataque per exercitationem in corpore adhuc remanent prorsus ejici.

Nobis hoc forse est transspirationem adjuvari aliasque excretiones; sed hoc plane ad systema spectat suum cui explicando nullus hic est locus.

Celsus denique ex Hippocratis dictis de frictionum usu, hanc earum concludit esse agendi causam.

„Omnes nempe effectus ex una pendere causa quae demit, nam et astringitur aliquid, eo dempto quod interpositum, ut id laxaretur efficerat et mollitur eo dempto quod duritiem creabat, et impletur non ipsa frictione sed eo cibo, qui postea usque ad cutem digestione quadam relaxatam penetrat.

Quorum plurima cum nobis vera non esse videantur, quid enim detrahitur quod duritiem creabat, quidve porro aufertur, quod laxitatem antea afferebat, tamen comprolanda est illa sententia cibum (i. e. chylum sanguinem, ad cutem pervenire atque sic sanguinis circulationem adjuvari.

At vero de his sufficiat nunc etiam paucula qualiacunque, dabo, qua ego putem ratione frictionum effectus explicandos esse.

1) Derivando, hujus ope delessationem fugat, sanguinem ab internis exercitatis pallidam ad cutem sensim revocando; insita hac fcultate, tempore matutino vires digestioni adhuc intentas ad externa rursum elicit, corpusque prae-

parat

parat ad diurna munera ferenda, hac etiam virtute senum corpora pallida reddit viridiora, sic denique in apoplexia in omnibus capitis aliusve partis congestionibus, remota in parte adhibita derivabit, sic etiam aliquam saltem ad partem in exanthematibus suppressis revocandis utilis: has vero ad res vehementior illa praesertim adhibenda frictio multaque.

2) Per consensum: has in cachexia atrophia phthisi et rel. exserit vires sic mihi dolores sedare sic denique, ni derivatio simul agit, in nodis mamarum lacteis glandularumq. aliarum tumoribus dissolvendis utilis esse dicitur.

3) Electricitate; ipsa frictura certe electricitas magno augetur modo quod in nonnullis saltem majoris erit efficaciae.

4) Motione totius corporis, quamobrem optima est τω κλίνοπετει exercitatio, multa sic ad corpus corroborandum ad somnum ciendum profert salubria, sic floridum in cute elicit colorem, atq. ipsius caloris agit ope a frictione effecti, hoc modo denique ipsoque consensu in rhachitide in scrophulis rel. frictiones agere puto.

Explicandi causam virtutis medicaminum cui nota est difficultas, facile ignoscet me non hac in re, ubi unum idemque maxime varia efficere videmus, accuratiora his certioraque dedisse; Est enim explicatio caussae virium alicujus medicaminis, has ad legem aliquam, quam dicimus, reducere naturae, i. e. ad generale aliquid quod ex singulis nos desumsimus, qua in re tales est conditio, ut incidat in Scyllam qui vult vitare Charybdim, facillime vero illuc veniemus quemque quem percipimus effectum facere legem, quod mihi pejus esse videtur, quam paucioribus esse contentum, ut qui hoc modo unum saltem adepti finem totius conspectum breviorem, illo vero modo omnia rursum rudis indigestaque moles. Sed ne quis miretur in frictione, Magnetismo ut videtur tam affini, me non omnia hac naturae ex vi

deduxisse sublimiori causas hujus mei opinionis reddam forse non improbabiles. Primum vero a posteriori experientia teste mihi liceat ratiocinari: sunt vero aliqui effectus magnetismo plane proprii ex nullo alio naturae molimine producti: frictio vero nostra a Romanis Graecisque in valetudine in morbis medicorum jussu adhibita nulla talia exhibuit signa: tum vero etiam a priori concludendum; est enim Magnetismi vis, multae ut naturae quas dicimus vires, hypothesis, quae tantum magis magisque valet, quo plura verisimilia in eadem connivent ut in hypothesi illa Copernicana: cum igitur aliquid aderit quod omni sine hypothesi nobis poterit explicari, in hac niti non oportebit. Jam vero frictio, quae nudo in corpore facta certe sanguinem ad cutem derivat ipsa mechanica etiam vi, quod ex florido cutis colore post frictiones illatas videre licet, in qua electricitas aucta atq. corporis exercitatio transspirationem juvans sanguinisque circulationem nullo modo hac illa vi nobili certe, hypothetica tamen, indigere videtur. Est tandem ea magnetismi vis ut omni paene sine corpore agat, in frictione vero corpus aliaque plane terrestria nobis sua subministrant auxilia.

His jam qualicunque modo peractis, videamus quem fere caetera inter auxilia medica locum teneat frictio: est vero horum prima divisio in somatica atque psychica, vel in corpora quaeque his carent, haec invicem non plane esse disjungenda nausea docet illum cui pharmacopaea non omnia solvit vota: In ipsis tum somaticis, a potiori quod corpori inest humano fiat divisio: est enim illi cerebrum magnum sensibus praeditum quod externa tangendo in perfectius evadit; in hoc quae agunt vires sanitatem tuentur morbosaque sensim in sana demutant; cerebrum praeterea adest minus seu intestinorum; in hoc quae suas praebent opes medicamina, corpus humanum ab intimis fontibus valent commovere. Haec etiam mutuam habere connexus seriem unusquisque callebit: remanet

enim saepissime ab internis illis motibus in externis effectus quorum morbos inter sic dictos chronicos numerus est certe major, haec nostri est arena remedii, ita ut quandam mediam inter diaetetica atque pharmaca teneat viam: hinc ergo tanta in sanitate retinenda vis, tanta in valetudine confirmanda facultas, is in diathesi removenda vigor, ea demum in morbis sanandis virtus, quae volentes nos suas trahit in partes atque lenta quidem, futura tamen bona, medico non imperito nobis portendere videtur.

Haec legenti dedi, pauca tali de re: facili accipias animo. Vale.

VITAE CURRICULUM.

Patre natus medico practico Hamburgensi, ex Christianeo Altonano cum testimonio maturitatis dimissum me excepit universitas litteraria Berolinensis ubi his me dedi studiis: Celeberr. Solger, sit illi terra levis, audii logicen docentem atque dialecticen, eadem etiam Schleiermacher, quem honoris causa nomino me docuit. De geometria cel. Tralles, de physice generali, de magnetismo Galvanismo Ermanno cel. legentibus non defui: sic cel. Fischer physices mechanicae partem utramque duce libro suo, illustr. Hermbstaedt de chemia experimentis illustrata atque de acidis legentem frequentavi. Maxime mihi cordi erat cel. Lichtenstein de zoologia legens generali, cel. Weiss de mineralogia speciali, celeberr. Link de botanice generali atque de cryptogamis. Cel. etiam Wilken de lingua Arabica praecepta accepi cum studio non remisso. Jam vero ad ipsa quae dicuntur medica studia progressus, Knape virum Ill. de osteologia, splanchnologia atque syndesmologia, Ill. Rudolphi de anatome generali, de organorum sensuum dissectione cel. Rosenthal de anatomia chirurgica magna audivi cum cura; in corporibus denique humanis secandis, elaboravi ducibus viris Ill. Knape atque Rudolphi. Physiolo-

giam me docuere celeberr. Horkel atque Ill. Koreff. In febribus materia medica atque in therapia generali ut in ipsis clinicis ducem sum secutus Ill. Berends. Pharmacologiam a Link viro cel. edoctus, de materia medico cel. Osann quoque audivi disserentem: Pathologiam docenti atque therapiam specialem Ill. Horn, nec minus cel. Wolfart de mesmerismo affui enarranti: de institutionibus medicis practicis deque therapia speciali disserentem Ill. Hufeland frequentavi. In chirurgia generali, speciali, aciurgia atque in ipsis clinicis chirurgicis Ill. Graefe magistro usus sum; in opthalmiatrice Exp. Busse in operationibus atque clinicis ophthalmiatricis Exp. Jungken, mihi fuere praeceptores; cursum perfeci operationum sub Celeberr. Rust. In clinice cyesiologica atque exercitationibus huc pertinentibus duces mihi fuere Ill. Siebold atque Cel. Kluge cujus praeterea interfui praelectionibus de arte obstetricia.

Jam tentamine et examine rigoroso coram Gratiosa Facultate medica Berolinensi absolutis, spero fore ut summos in medicina atque chirurgia honores, dissertatione rite defensa, consequar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sunt remedia specifica.

II.

Morbi psychici ab ipsis somaticis sanantur medicaminibus.

III.

Sanguinis copiam in morbis inflammatoriis detrahendam ad horum vehementiam referri, neque ex constitutionibus aegrotorum esse reputandam.

IV.

Therapiam specialem generali magis esse necessariam.